



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

Winfesemensis ad hoc convocati acceptavit, ut ex suis Fratribus ritè ac legitime Prælatò pro suprascripto reformando Monasterio jam electò, hunc cum nonnullis devotis ac disciplinatis sui Monasterij Fratribus, non veritus periculosum discrimen nec itineris longitudinem & difficultatem, eidem Monasterio humiliter, prout decuit, præsentavit.



P A R S IV.

Miracula, quæ per intercessionem Beati Meinulphi sub septimo Priore prædicti Monasterij Arnolde de Holte contingebant, & ista sunt, quæ hic sequuntur.

C A P U T I.

ANno Incarnationis Domini M.CCCCXLIX. primò annò, quo Venerabilis Prior *Arnoldus de Holte* Monasterium B. MEINULPHI in *Böddeken* regere cæperat, quidam Militaris Monasterium ovibus suis spoliavit. Procurator verò ejusdem Monasterij cum nonnullis alijs Fratribus, & Laicis ad hoc sibi deputatis spoliū cum mæore insequabantur. Qui dum ante Castrum dicti Militaris venerunt, ibidem oves suas horribili strage jugulari viderunt: servus etiam dicti Castri, qui jugulabat, præfato Procuratori stomachosior ac superbissimò animò loquebatur in hæc verba: *Fama est, & dicitur, quòd qui comederit de spoliatis quibuscunque à vestro Monasterio, ille infra eundem annum, quo comederit, morietur, & subdicens ajebat: & ego ex illis à vobis spoliatis comedam, experturus quid contrarietatis mihi ob hoc evenire possit.* De ovibus comedit, & ecce paucis diebus post hoc transactis, ille qui supra dicta verba in insipientia sua loquebatur, iter ad campum pro colligendis fænis faciens, cum ad locum pervenerat, in quo operari intendebat, tam gravis infirmitas eum oppressit, ut cum vehiculo ad oppidum *Winnenberg*, unde venerat, duc-

duceretur, sicque factum fuit, ut qui robusto, ac juvenili corpore exierat, inutilis factus sit, pedibus incedere non valens, jam jamque super terram rependo cum suis pedibus miserabiliter ad totam vitam cum sua maxima confusione extiterit; Idem etiam vir non solum claudus & inutilis factus fuit, sed ita depauperatus, ut uxor ejus in miseria paupertatis suae à Procuratore dicti Monasterij remissionem petierit; supradictus insuper Militaris, qui prae memoratum spoliū fecerat, non impunè abivit, etenim post dictam spoliationem elegantissimus & fortissimus de caballis suis subitanea morte extinguebatur.]

C A P U T II.

Sacerdos infirmus intercessione B. Meinulphi convaleuit.

ERat quidam devotus Sacerdos oppidi *Geseke*, qui habebat singularem devotionem ad B. MEINULPHUM, & ob hanc causam habebat in Breviario suo Suffragium de eodem, quod consueverat ad honorem ejus quotidie persolvere. Contigit verò ob causam, quam DEUS tantum novit, ut idem quasi amens factus à suis parentibus die ac nocte custodiretur, aliqui etiam Sacerdotes oppidi *Geseke* Breviarium ejus, ne ex horarum suarum Lectione, quia modò debilis capite erat, totus furibundus redderetur, clandestinè abstulerunt; tamen quia B. MEINULPHO praedictus infirmus Sacerdos in precibus suis solitus erat inservire, per ejus piam intercessionem apud DEUM miserendi tempus advenit; nam nocte quadam praesentibus suis cum custodientibus, somno autem oppressis, surrexit Sacerdos & abivit, & de quodam angulo juxta focum Breviarium suum extrahens aperuit, & orationis Suffragium de B. MEINULPHO persolvit, quo facto suorum sensuum caperat resumere sanitatem, post hoc cum eadem capta sanitas aliquale habuit incrementum, qui eam per intercessionem B. MEINULPHI sibi adesse novit, tale votum fecit, ut vellet (quod etiam adimplevit, & sanus in suis sensibus factus permansit) cum duobus Sacerdotibus sibi sociatis sacras ejus reliquias in gratiarum actionem visitare.